

Ut AC 50. ad BC 30: Ita BC 30. ad LC 18.

18

$$\frac{18}{900} \text{ Rectang. LKIC}$$

30

$$\frac{30}{900} \text{ Quadr. BEDC.}$$

Rectangula ergo illa duo (HALK scilicet & LKIC) simul summa constituunt quadratum basis AHIC, quod & ipsum quadratis illis AGFB & BEDC æquabitur necessariò, siquidem ejus partes per antecedentia his æquantur. Quemadmodum enim Rectangula HALK 1600. & LKIC 900. simul sumta 2500. faciunt, vel quadratum AHIC concludunt: ita & quadrata illa crurum AGFB 1600. & BEDC 900. eandem summam 2500. constituunt.

Ex hoc Theoremate enascitur primò iterum nova ratio examinandi angulos Rectilineos dubios, (*de quibus supra etiam egimus Cap. VIII. sub finem p. 44.*) sed ex hoc cap. est examen multò certius illo. Ibi enim pensitabatur saltem angulorum æqualitas vel Inæqualitas: hic verò ad species usq; angulorum penetratur, respondeturq;, sit ne dubius aliquis angulus Rectus, vel Acutus vel Obtusus.

Si enim in Triangulo quocunq; cuius unus angulus dubius est, omniaq; latera sunt cognita, quadratum basis anguli dubij, æquatur quadratis crurum, erit angulus ille Rectus, per proxime antecedentia: Si verò quadratum basis, anguli dubij superaverit quadrata crurum, erit angulus ille Obtusus: si deniq; quadratum basis minus fuerit quadratis crurum simul sumtis, erit angulus ille acutus. Pluribus his inhærere non est hujus loci: sufficit hæc indicasse paucis.

Deinde etiam ex hoc Theoremate tanquam experenni fonte promanant innumera Theoremeta & Problemata, è quibus quædam in seqq. delibabimus.

VII. *Si è Diametro quadrati aliud quadratum fiat, erit hoc illius duplum.*

Esto quadratum ABCD, ejusq; Diameter BD: è quae scribatur aliud quadratum BEFD: dico hoc illius duplum esse.